

constat ex eorum definitione, nam corpus est entitas, cui in statu, qui naturaliter illi accidere potest, formaliter ratione sui intrinseci quantitatem dicit; contra verò spiritus; nam ratio spiritus sic definiri debet; est entitas, cui in statu, qui illi naturaliter contingere potest, repugnat formaliter habere quantitatem; cum quantitas det esse corporis; & quia habere quantitatem, & non habere quantitatem repugnat, sicuti esse spirituale & non esse, esse corporeum & non esse ita; repugnat compositum ex materia & forma spirituali, quando talis materia spiritualis non detur, aliàs quælibet substantia spiritualis composita esset ex materia & forma, & non esset composita; spiritus enim est actus completus non includens potentiam physicam, sed solum metaphysicam. [loquendo de spiritu creato] ergo concludendum est non posse dari tale compositum spirituale constans ex materia & forma spirituali.

25. Obijcies 1. non est contra naturam rei spiritualis compositionem habere partium physicarum, & partibus similibus constare, sicut una sit extra aliam; ergo non repugnat dari compositum ex materia & forma spirituali, data materia & forma aristotelica.

Respondeo, nego antecedens, quia est petitio principij; hæc namque est quæstio an dari possit hæc materia physica aristotelica, quæ a forma physica actuari possit spirituali faciens unum, per se, absque eo quod includeret quantitatem; quia facere ut substantia partes extra partes habeat, sit proprium quantitatis; atque adeo illud compositum tale esset corpus & non esset, ut dixi n. 25. antecedenti, quod admittendum non est.

26. Obijcies 2. si repugnaret tale compositum, maximè esset quia ex prædicato spirituali repugnaret; at hoc non repugnat; ergo ex nullo capite repugnat.

Respondeo, concedo maiore, & minorem nego; quia ex eo quod ex materia & forma constaret, quæcumque illa esset, ex parte perfectibili physica & perfectiva, atque adeo ex materia & forma physica, consequenter physicum compositum esset, quod vult dicere corpus; corpus autem excludit spiritum, & spiritus corpus, non quidem quoad unionem inter se, aliàs anima non posset uniri corpori, quod est hæreticum dicere; sed quia entitas spiritualis non potest includere prædicatum corporis in recto, neque corpus prædicatum spirituale in obliquo.

27. Obijcies 3. materia prima absque vlla quantitate superaddita